

VALLESIAE  
DESCRIPTIO,  
LIBRI DVO.

DE ALPIBUS  
COMMENTARIUS,  
IOSIA SIMLERO  
AVCTORE.

DESCRIBUNTUR vero in his li-  
bris, primo quidem regionis situs, populi  
mores, Reipublicæ forma, vrbes, arces,  
pagi, montes, flumina, aliaq; memoratu  
digna: & præterea Vallesianorū res geste.  
Deinde Alpium natura & magnitudo, ve-  
tera nomina & itinera: & multa quæ pro-  
pria & peculiaria sunt Alpibus comme-  
morantur: Auctorum etiam loci pluri-  
mi citantur & explicantur.

ACCESSIT HIS APPENDIX

*descriptionis Valleſiæ. Federic. de Boes*  
1846

TIGVRI EXCVDEBAT CH.

Froschouerus. 1574.

*Sum Caroli Alberti, et*  
*Burg, Froschouerus. 1756. 1771.*



## D E A L P I B V S

nu ducantur, quandoq; etiã equis illorũ, qui tutissimè aspera hæc & angusta loca superare possunt, se deportari curët. Atq; hæ uiarum angustie efficiunt, ut quãuis nulle Alpes insuperabiles sint, non tamen omnibus itineribus exercitus duci possit propter impedimentorũ, & tormentorũ difficilem uecturam. Et quia sepe in montibus ubi alioqui equiora itinera sunt, uiarũ perlonge angustie occurrunt, diligenter cauët ne iter facientes se in his angustijs lædãt, præsertim ne illis damnum detur, qui bouum armenta aut equorum greges agunt, solent enim quotannis ex transalpinis regionibus, & præsertim Heluetijs & Germania multi boues & equi in Italiam abduci. Neq; leue periculum est ne terrore aliquo incusso turbati greges in præceps ruant & pereant. Itaque qui per Alpes iter faciunt, & præsertim qui sarcinaria iumenta, aut armenta agunt, utrinque constituta habent tempora, quibus iter ingrediuntur, ut sibi inuicem in summis uerticibus ubi aliqua planicies est, occurrant: quod si forte aliter accidat, certas leges habent, quos nam in uia subsistere, aut alteri de uia decedere oporteat.

**Periculum  
in locis  
lubricis &  
precipitijs  
his.**

Augent autem uiarum difficultatem præcipitia & derupta loca, præsertim si glacie tecta sint itinera, quare uarijs rationibus sibi consulunt uiatores, & pastores, ac uenatores qui frequenter per altissimos montes uagantur. Nam aduersus lubricitatem glaciei soleas ferreas, equorum soleis similes, tribus acutis cuspibus præditas, firmiter pedibus alligare solent, ut uestigia in glacie firmare possint:

possint: alij corrigias, quibus calcaria astringuntur sub imo pede similiter præacuto ferro muniunt, aliaq; adhibent, quæ lubricitati obsistere & gressum firmare possunt. Nonnullis in locis baculis utuntur mucrone ferreo præpilatis, quibus nixi per arduos cliuos ascendere & descendere solent, hos alpinos baculos uocant, & pastoribus præcipuè in usu sunt: Aliquando etiam pastores & uenatores per loca decliua & penè præcipitia, qua nulla alioqui uia est, cassis ramis arborum, & præcipuè abietum, insidentes, & quasi inequitantes se demittunt. Vbi autem currus onusti per loca huiusmodi ardua demittendi sunt, nonnunquam ingentibus funibus ergatarum & trochlearum artificio eos demittunt. Atque antiquis hoc in usu fuisse Ammianus Marcel. indicat, cuius uerba superius in Alpium Cottiarum descriptione apposuimus. Simile quiddam refert Schaffnaburgensis, qui commemorans, quanto labore Henricus IIII. Alpes hyeme superasse scribit, Reginam & mulieres ex eius gynecæo bouum corijs impositas fuisse, quas itineris duces deorsum trahebant, equos quoque per machinas summissos, aut colligatis pedibus tractos, ex quibus multi mortui aut debilitati perierint.

Accliua autè loca plurima in eodem monte se offerunt, etsi enim eminens continuus ascensus uidetur, ita ut superato iugo, per quod iter est, te ad summum montem peruenturum iudices, tamen eo superato, planus aliquis locus se offert, & supra hunc alius nouus mons superandus occurrit, quæ

est sicut fortuitus casus hasce sub terris enatas cry-  
 stallos detexit, ita etiam plerasque quae è rupibus  
 dependent, sub terra primum enatas, postea eluui-  
 o aquarum aut alio casu nudata rupe detectas es-  
 se. Non autem unius generis crystallos inueniri, sed  
 alias candidas & pellucidas, alias uero purpura-  
 scentes, quas pro Amethysto gemma quidam uen-  
 dunt, supra in Vallesia, in qua praestantissima cry-  
 stallus inuenitur, descriptione diximus.

Metalla.

De metallis Alpium nolo hic agere, hoc tantum  
 adnotabo, Alpes metallorum feraces esse duobus  
 argumentis constare, primum quidem quod in his  
 locis in quibus exercentur, huic rei operam dan-  
 tes uberrimum fructum inde percipiunt, ut ad Oes-  
 num & Athesim amnes, in Noricis & Rheticis  
 Alpibus: Deinde in his locis in quibus nullae sunt fo-  
 dinae, flumina ramenta auri deportantia, ut Rhe-  
 nus, Vrsa, Emma, ostendunt montes è quibus ori-  
 untur non carere uenis metalli. Ceterum in Hel-  
 uetia nullae ferè praeter ferri secturas sunt: gens ez-  
 nim militiae dedita, at & domi ex bouum armen-  
 tis & pastione ingens lucrum percipiens, rem me-  
 tallicam, cuius ignara est, negligit: neque patitur  
 peregrinos fodinas facere, quoniam iudicat eas ex-  
 erceri non posse absque publico incommodo, quod  
 syluae ceduae integrae in carbonum usum cedantur,  
 pascua quae in montibus optima habent, maxima  
 parte pereant, aquae uitientur, multaq; incommo-  
 da sequantur: adhuc gens alioqui populosa & ar-  
 etis finibus inclusa, neque uult, neque absque graui

## DE ALPIBVS

detrimento potest peregrinorum maiorem numerum intra suos fines recipere.

## DE ARBORIBVS

alpinis.

**I**N magnis montibus, ut Theophrastus memorie prodidit, omnis ferè generis plantas nasci certum est, scilicet ratione uarietatis locorum. Habent enim stagnantia, madentia, sicca, crassa, saxosa, praetereaq; media pene omnia telluris discrimina. Adhaec alia concaua atq; tranquilla: alia sublimia & uentis exposita, ita ut permulta & uaria gignere possint, quaeq; planis proueniunt isti quoque prestare possunt. Non tamen montes omnia aequè ferunt, sed alia alibi feliciter proueniunt. Atque inter arbores, si Theophrasto credimus, montibus propriae sunt neque in planis nascuntur, abies, pinaster, picea, aquifolia, tilia, caprinus, buxus, portulaca, taxus, iuniperus, terebinthus, caprificus, philyca, aphaerca, nux iuglans, castanea, ilex. Ex his autem quae montibus cum planis communia habentur, campestris materia mollior & tenerior plerumq; est, montana autem proprium adeptam locum melior pulchriorq; prouenit, nam montium siccior & aridior habitus lignum magis durat & astringit, & uentis ibi ad soliditatem & firmitatem turgentur arbores, itaque apud poetas, ut doctissimus Turnebus adnotauit, montana materia ut hastilibus aptior commendatur, unde etiam Homerus caesans

Arbores  
montibus  
propriae.

## DE ALPIBVS

perioribus annis nuces castaneas siccatas aduersus  
futuram famem, magno pauperum commodo re-  
condere didicerunt. Nam si rectè & ex arte siccata  
fuerint, sicca pariter & elixæ esui aptæ sunt,  
& panis quoq; ex illis in usum plebis coquitur.

Reliquas à Theophrasto cōmemoratas montanas  
arbores silentio prætereo, quoniã etsi plerisq;  
his Alpes quoque abundant, ceteris tamē montibus  
non minus propriae & etiam frequentes sunt. **Larix.**  
Laricen tamen præterire non possum, Theophrasto  
& Græciæ ignota, propriam nostris Alpibus.  
Arbor hæc abieti, pino & piceæ affinis est cortice  
quã picea asperiore, frondibus pinguioribus, molli-  
oribus & magis densis, quas tamen autumnò as-  
mittit, contra quã Plinius asserit, qui ~~uixit~~ Theo-  
phraستي, Laricen transtulisse uidetur, proceritate  
cognatas arbores æquat, & sæpe etiam superat.  
Faciendo autem operi nulli eorum postponenda  
est, etenim structurarum pondera firmissimè &  
diutissimè sustentat, idq; Baptista Albertus se cū ali-  
bitum apud Venetias ex vetustis fori operibus ad-  
notasse scribit, atqui addit, quod etiã alpini homi-  
nes affirmât, neruosam esse, uiriū tenacem, firmis-  
simam in tempestatibus, & aduersus cariem ille-  
sabilem. In secando ferramenta facile patitur, ideoq;  
affabre dolatur & leuigatur. Vetus est opinio à  
Plinio quoque literis prodita, eam non ardere, nec  
carbonem facere, neque alio modo ignis ui consu-  
mi quàm lapides: ideoq; obijciendos ex Larice as-  
seres eò uersus iubent, unde ignium aduenticium  
malum

malum extimescas. Sed falsam fuisse hanc persuasionem inde constat, quod apud Vallesianos quibusdam in locis non alia ligna in usum foci adhibentur, alicubi etiam in Alpibus ad ferrarias fodinas carbones ex ea fiunt. Inter omnes autem alpinas arbores precipuus eius in medicina usus est, etenim adeo efficax contra lepram iudicatur, ut inhabitantes triclinia & zetas Larigno ligno contactas, tuti ab hoc malo credantur. Recentes deinde arboris surculos in balneis aduersus eundem morbum decoquunt: aqua etiam ex his chymica arte elicitam, miram vim habere creditur. Præcipua tamen laus est larignæ resinæ quæ uulnerata arbore melleo colore effluit, hac nostrates terebinthina loco non infeliciter utuntur, ac uulgius illa ut domesticoremediodio, non tantum ad uulnera & exteriora corporis uicia curanda utitur, sed aduersus internos quoque morbos eandem deglutiunt: ac certum est renes & uesicam hoc remedio purgari, namque in ipsa urina odor eius facile apparet, si uel triduo quis ea usus fuerit. Fungus postremo qui in Larice nascitur, frequentissimi usus est in purgando corpore, Agaricum medici nominant.

### DE ALPINIS FRVTICIBUS & HERBIS.

Inter Alpinas herbas nihil habeo prius commemo- Pasena al-  
 morandum uberrimis pascuibus, quæ omni armen- pina.  
 torum & pecorum generi montes nostri suppedit-